

vel Angelus in duobus illis locis operaretur diversis specie effectus: & sic haberet operationes & presentias specie diversas. Vel operaretur effectus solo numero diversos: & sic haberet plures operationes, & presentias numero inaequales locis distinctas, quae unam numero presentiam adequatam constituerent. Sed hic discurrendum eodem modo est, ac de presentia, quas habet Corpus Christi sub pluribus Hostiis.

XV. Noto tamen, quod cum Angelum dicimus, posse esse substantialiter presentem in duobus locis, quin sit praesens in intermediis, loquimur de presentia formaliter locali, quae ex operatione confurgit. Ceterum non negamus, quod eius substantia quoquo modo illi spatio intermedio adsit, & sit illi negativè indistans. Cum enim sit indivisibilis, non videtur, fieri posse ut exeat in duobus locis distantibus, & non existat in toto medio, quomodo possit non esse in medio, ut in loco. Alioquin sequeretur substantiam Angelis esse divisa, ac separatam a se ipsa, idque non secundum partes, cum nullas habeat: sed secundum se totam.

XVI. Neque hinc inferas, Angelum operantem in duobus paribus locis, & non in medio, operari, & esse in pluribus locis ut plura sunt, quod est contra D. Thomam 1. 2. q. 52. art. 2. Nego enim illatum; nam loca illa, etsi dista inter se materialiter, ut tamen assumuntur ab Angelo, & ejus virtus simul illis applicatur, non sunt plura, sed unus locus formaliter. Unde D. Thomas citato loco in respons. ad objecta: *Totum illud*, (inquit) *qui immediate applicat virtutem Angelis, reputatur, ut unus locus ejus, quomodo non sit continuum.* Efficit autem plura loca formaliter, si intra sphaeram virtutis ejus non clauderentur. Quare.

XVII. Dico quarto, Angelus non potest naturaliter esse in uno loco adequato, & altero inadecuato; neque in duobus inadecuatis ad invicem distantibus extra ambitum activitatis suae. Prima pars constat ex Assertionem secunda superius statuta. Sicut enim non potest esse in duobus locis adequatis, ita nec in uno adequato, & altero inadecuato. Quare si locus adequatus Angeli esset una leuca; non posset agere in una leuca cum dimidio; alioquin limites suae activitatis, & localitatis transgrediretur.

Secunda vero pars prob. Nam si Angelus loca inadeguata quidem, sed extra limites suae activitatis simul occuparet, tunc Angelus posset extra sphaeram suam proterendi; puta, si cum sphaera ejus activitatis esset una leuca, occuparet medium leucae in terris, & alteram medietatem in Caelo; & rursus posset esse in locis distantissimis, nec indigeret motui, ut transiret de uno ad alium locum; sed sufficeret ei dividere, & partiiri virtutem suam activam, & eam diversis locis dispensare, etsi distantibus, quod est contra naturam rei finitae; & contra S. Jo. Damascenum, qui lib. 2. de fide cap. 3. *Circumscrispi* (inquit) *sunt, nec enim cum in Caelo sunt, in terra versantur; nec cum a Deo in terram mittuntur, remanent in Caelo.*

XVIII. Dico quinto, Angelus potest esse in loco sive divisibili, sive indivisibili, vel majori, vel minori. Ita D. Thomas 1. 2. q. 52. art. 2. dicens: *Quidam imaginationem transcedere non valentes, cogitaverunt indivisibilitatem Angelis ad modum indivisibilitatis puncti. Et ideo crediderunt, quod Angelus non posset esse, nisi in loco punctuali. Sed manifeste decepti sunt; nam punctum est indivisibile habens situm, sed Angelus est indivisibilis extra genus quantitatis; & sicut ostendimus. Unde non est necesse, quod determinetur ei unus locus indivisibilis secundum situm, sed vel divisibilis, vel indivisibilis, vel major, vel minor, secundum quod voluntarie applicat suam virtutem ad corpus majus, vel minus.* Ita S. Thomas: quod docet etiam in 1. d. 37. q. 3. art. 3.

XIX. Ex quibus sic, Angelus est in loco secundum liberam applicationem suae virtutis, non secundum naturalem suam commensurationem loco: sed potest Angelus velle libere applicare suam virtutem, vel loco divisibili, vel indivisibili, vel majori, vel minori; ergo &c. Minor, quod possit se applicare loco divisibili, prob. Si ad hoc aliquid obstat maxime, quod Angeli substantia est indivisibilis: sed hoc non obstat. Primo. Quia Angelus non est in loco ratione suae substantiae, ut vult Scotus; sed ratione applicationis suae virtutis, quam potest indivisibiliter, & etiam divisibiliter applicare. Secundo. Anima rationalis est indivisibilis, & tamen animat corpus divisibile, modo majus, modo minus. Insuper quid magis indivisibile quam Deus, qui tamen est in loco divisibili? Tertio, & est ratio a priori. Licet id, quod est indivisibile per defectum, ut est punctum in linea, non possit tangere nisi indivisibile; id tamen quod est indivisibile per excessum, quia, utpote spirituale excedit naturam corpoream, & divisibilem, esse formaliter indivisibile sit, eminenter tamen divisibile est; & hoc ratione tunc Deus, quam anima rationalis est in se formaliter indivisibilis, sunt virtutibus, & eminenter divisibiles, ideoque existunt in re divisibilibus, ac si essent formaliter divisibiles: sed Angelus est indivisibilis per excessum supra continuum divisibile, ratione immaterialitatis; ergo &c.

XX. Hinc apparet, melius in nostra sententia applicari posse, quomodo Angelus, si vult, possit se modo in majori loco collocare. Cum enim ratio formalis se constituendi in loco Angelo sit applicatio suae virtutis, & hanc possit, vel totam exercere, vel ex parte solum, scilicet, vel erga totum locum ei adequatum, vel solum erga partem loci, sit, ut modo majorem, modo minorem locum sibi subiciat, & occupet. At non ita facile explicare possunt Contrarii, qui pro ratione formali ponentes aliquid formaliter, & virtualiter indivisibile de sua linea, nempe, vel substantiam, vel modum ubicationis, non assignant causam, vel principium, qua-

re localis presentia modo sit major, modo minor: eo vel magis, quia licet dicant, ad ponendum Angelum in loco concurrere ipsius Angelis voluntatem; hanc tamen dicunt concurrere solum per modum conditionis, non rationis formalis; effectus autem formalis non variatur ex sola variatione conditionis, nisi varietur ratio formalis: ut patet in nobis, qui licet libera voluntate non moveamur, & applicemus ad loca, non possumus tamen modo in majori, modo in minori loco non ponere, modo totum locum, modo partem occupare; nisi quantitatis extensio, quae nobis est ratio occupandi locum, contrahatur, vel dilatetur.

XXI. Quod vero possit Angelus se applicare, & esse in loco etiam indivisibili, puta in puncto solo, eadem ratione probatur. Cum enim Angelus in loco sit per liberam suam virtutis applicationem excedentem conditionem continui, potest, sicut se applicare loco majori, & majori intra terminos tamen suae activitatis; ita & minori, ac minori usque in infinitum, usque ad solum punctum indivisibile. Sicut enim ratione suae elevationis supra continuum potest se ab omni loco, si voluerit, dispensare, ut superius cum D. Thoma estiamus, ita poterit se collocare in minori, & minori usque ad minimum. Eo vel maxime, quod cum virtus Angeli in se sit indivisibilis, potest, si voluerit, tangere corpus in puncto indivisibili: & licet non possit solum punctum movere, eo quod tale punctum separatim a quantitate non datur; illud tamen potest se tangere in continuo positum, ut partes, quas unit, immediate non tangat, & sic corpus movere; sicut unum corpus perfecte sphaericum potest movere aliud tangendo illud solum in puncto.

XXII. Nec sequitur primo, si Angelus posset suam virtutem se collocare in minori, & minori loco usque in infinitum, fore virtutis simpliciter infinitae; sicut esset, si posset se constituere in loco majori, & majori usque in infinitum. Et sicut esset virtutis infinitae potentia visiva, quae videre posset objectum minus, & minus usque in infinitum.

XXIII. Nam respondendo negando sequelam, maxime si sermo sit de infinito simpliciter, & categoricem: quia etsi virtus angelica posset se collocare in minori, & minori, immo indivisibili, hoc esset semper inter limites loci sibi adequati. Unde non valet exemplum: nam si Angelus posset se collocare in majori, & majori loco usque in infinitum, bene argueretur in eo virtutis infinita, quia locus illius careret termino; & esset immensus sicut Deus, qui nullus esset imaginabilis locus, cui simul adesse non posset; quod non sequitur, si posset se collocare in minori loco. Sicut non argueretur ejus virtutis infinita ille, qui potens ferre pondus, ut centum, eam applicaret ad ferendum pondus, ut quinquaginta, ut triginta, ut viginti, ut decem &c. argueretur ejus virtutis infinita ille, qui posset ferre pondus ut centum, ut mille, & sic in infinitum.

Neque exemplum potentiae visivae hoc juvat. Nam ex una parte ut objectum moveat visum, ratio formalis non est libera applicatio virtutis visivae, sed proportio objecti cum potentia, quae determinatur, & non minorem exigit extensionem in objecto. Ex alia vero parte ad videndum minus, & minus objectum, major efficacia, & virtus requiritur in potentia visiva; nam objectum minus difficilius movere, quam majus. Quare infinita vis requireretur ad videndum objectum minus, ac minus in infinitum. Ad Angelum se in minori loco constituere, & a libera ejus applicatione procedi, & non majorem virtutem requiri, quam dum se in loco suo adequato continet; sed potius contrarium, scilicet virtutis dum eam non totaliter applicat, ut ille qui potens portare pondus ut centum, portat solum ut decem.

XXIV. Neque sequitur secundo, unum Angelum posse esse in alio Angelo ut in loco, si potest esse in puncto indivisibili ut in loco.

Nego enim sequelam. Nam locus est essentialiter, vel corpus, vel aliquid corporis habens situm in corpore: punctum autem, etsi non sit corpus, quia tamen est aliquid corporis, & habens situm in corpore ut terminus ejus, capax est, ut Angelus in ipso se se constituens, sit in eo, ut in loco. At de Angelo non ita: est enim indivisibilis, non ut aliquid quantitatis, nec situm habens in corpore, sed ut omnino incorporeus, & genus quantitatis excedens; unde minus Angelus agens in alio, esset in illo sicut agens in passivo, & sicut una substantia ordinem dicens ad aliam, non sicut locum in loco. Unde D. Thom. Quolib. 3. art. 7. ait: *Quod est incorporeum situm, est in spiritualibus ordo. Nam sicut est quidam ordo partium corporum secundum locum; & ideo iste ordo substantiarum spiritualium ad invicem sufficit, ut una influat in aliam; nec requiritur ibi medium corporale, vel locale, quia huiusmodi actiones sunt supra locum, & tempus, quae in corporalibus sunt.* Adde unum Angelum non posse operari in alio, sicut nec in anima rationali, quasi illabendo in eorum substantiam intrinsecam, sed solum exterius per modum suggestionis, ut suo loco dicitur. Unde non sequitur quod unus Angelus sit in Angelo, vel cum Angelo in uno loco. Vid. Div. Thom. in 1. d. 37. q. 3. art. 3. ad 4.

XXV. Adversus demum, quod cum dicimus, Angelum posse agere, & locari in indivisibili, seu in puncto loquimur semper de indivisibili, seu puncto constituto intra terminos loci adequati virtuti Angelicae: unde sicut in magnitudine, ita in minimo ejusdem habet terminum. Quare sicut a minimo posito in terra, non potest extendi ad maximum possum in Caelo; ita a maximo quod est in Caelo, non potest proterendi ad minimum, quod esset in terra.

XXVI. Dico. Plures Angeli possunt esse in eodem loco materiali, non tamen in eodem loco formali adequato, & per modum causae principalis. Explicio. Locus Angeli dicitur materialiter unus ex unitate spatio, seu corporis, in quo Angelus operatur: dicitur vero locus formaliter unus ex unitate operationis, quae totum illud spatium tangit, & occupat. Quod si ab Angelo tangatur actio totali, dicitur locus formalis adequatus; si vero actioe solum inadeguata, dicitur locus formalis locus inadeguatus. Insuper quia Angelus sibi potest agere, vel ut causa principalis, virtute propria, vel ut instrumentum divinae virtutis; ideo & locus comparari potest ad Angelum ut causam principalem operantem, & ut operantem solum instrumentalem.

XXVII. Prior ergo pars prob. Nam possunt duo Angeli operari in eodem spatio effectus divinae rationis, puta unus motum, alius lumen: Vel si operentur effectum ejusdem rationis, possunt sic invicem attemperari, ut effectus non procedat totaliter a singulis; sicut plures invicem attemperant virtutem suam in trahenda navi: vel ita inter se dividere operationem, ut unus Angelus producat motum, & alter celeritatem motus, in quo casu locus ille esset unus solum materialiter, vel formaliter locus inadeguatus: Similiter si plures cum subordinatione unus ad alterum, vel instrumentaliter concurrant ad modum, quo duo Sacerdotes concurrunt cum Episcopo ut duae causae totales instrumentariae ad consecrationem ejusdem Hostiae, ut docet D. Thomas 3. part. quibus. 83. art. 2. ad 2. possunt in eodem loco etiam formaliter existere; quia in hoc casu, vel non eodem modo, vel non ut plures ad eundem effectum concurrunt.

XXVIII. Hae rationes explicatur, quomodo fieri possent (quod narrat Marci 5. v. 2.) ut integra Daemonum Legio in uno corpore esset. Si enim omnes simul in eodem corpore operantur, dici debet, quod, vel non eundem effectum in eo producebant, sed diversos species: vel si eundem, non se gerebant, ut causae totales, & principales aequaliter concurrentes, sed ut partiales, ut Desinstrumentaria; & cum subordinatione invicem. Quamquam dici possit ex doctrina D. Thomae in 1. d. 37. q. 3. art. 3. ad 1. & quibus. 2. de per. art. 39. ad 1. plures Angelos malos posse simul ad eundem locum confluere, & unum cum operatione alterius confundere: quod enim impedit, ne plures Angeli simul in uno loco esse possint, non est repletio loci (ut in corporibus contingit) sed confusio operationum. Cum autem Demones non attendant ad id, quod est convenientia suae naturae, sed ad id, quod videtur congruere eorum malitiae, dummodo homini nocent, quamvis videant uno iam operante eundem effectum, eorum operationem fore superfluum, adeo inordinata est eorum voluntas, ut id parum curent.

XXIX. Secunda vero pars probatur a D. Thoma tum hac quibus. 83. art. 3. tum in 1. d. 37. q. 3. art. 3. Nam impossibile est, quod sint duae causae complectae, & totales immediate concurrentes principaliter ad eundem effectum, alias quilibet earum esset completa, & totalis, & non esset, ac non penderet; sed Angelus est in loco formali per hoc, quod virtus ejus immediate contingit locum per modum continentis perfecti; ergo &c. Majorem probat D. Thom. Nam una est forma proxima unius rei, & unum est proximum movens completum, quamvis possint esse plures motores remoti. Nec refert, quod plures possint concurrere ad eandem navem trahendam. Nam nullus eorum est perfectus motor, cum virtus unusquisque sit insufficientis ad movendum, sed omnes simul tenent locum unius movendi. Sicut ergo omnes virtutes junguntur ad unum motum faciendum. Sicut autem in physicis docet Nostrum, nec supernaturaliter fieri possit, ut unus, & idem effectus simul producat a duabus causis proximis totalibus, adequatis principalibus, & ejusdem ordinis, quia hoc repugnat; ita & plures Angelos hoc modo esse in uno loco.

XXX. Nec dicit primo, Plura corpora non possunt esse in eodem loco, quia replent locum: sed Angeli non replent locum quia solum corpus replent locum, ne detur vacuum; ergo &c. Secundo. Plus differunt Angelus, & corpus, quam duo Angeli: sed Angelus, & corpus sunt simul in eodem loco, quia nullus locus est, qui non sit plenus sensibili corpore; ergo &c. Tertio, in eodem corpore est anima, & saepe etiam Daemon; ergo.

XXXI. Respondetur enim ad primum cum D. Th. hac 9. 2. art. 3. ad 1. quod Angelus non replent locum repletionem quantitatis, illum tamen replent repletionem virtutis; dum adequata in eodem operatur; unde si alius ibi operaretur, esset operationum confusio.

Si dicat, ergo sitem supernaturaliter duo Angeli possunt operari in eodem loco formali, sicut duo corpora possunt supernaturaliter replere eundem locum.

Respondetur, quod sicut duo corpora si invicem penetrant possunt esse in eodem loco; ita duo Angeli si invicem communicent suam virtutem, possunt operari in eodem loco. Sed tunc dicit duo corpora comparantur ad locum, non per modum duplicis, sed unius loci in actu secundo: ita illi duo Angeli se habent in actu secundo per modum unius adequati motoris, non duplicis.

Ad secundum cum eodem S. D. ad secundum, citato, dico, quod Angelus, & corpus non eodem modo sunt in loco. Unde ratio non sequitur.

XXXII. Hinc ad tertium similiter cum eodem ibi ad 3. dico: quod nec Daemon, nec anima comparantur ad corpus secundum eandem habitudinem causae, cum anima sit forma, non autem Daemon. Dicit etiam potest, quod anima est in corpore ut principium operationum naturalium in corpore; Angelus autem est in corpore ut operans operationes supernaturales, unde nulla est confusio operationum; quia non est unus virtutis operatio. Eadem ratione Deus est in rebus, ut dant omnibus esse, & operans in qualibet virtute operante, & ideo alterutrumque est operatio ipsius Angeli, cui ut proprius effectus non correspondet esse. V. D. Th. in 1. d. 37. q. 3. art. 3. ad 2. & 3.

XXXIII. At dicat. Ad ministrandum Christo plures Angeli accesserunt ut habetur Matth. 4. v. 11.

Respondetur. Plures illos Angelos fuisse immediate in diversis partibus aeris circumstantis, sicut & illi, qui Christo nato apparuerunt Luca 20. Vel ministerium illud, utpote divisibile, fuisse inter illos Angelos sic distributum, ut unum unam, alius aliam exerceret operationem, cui ministerio licet unus Angelus sufficere potuisset; honor tamen, ac reverentia Christo debita plures advocavit.

DUBIUM III.

De motu locali Angelorum.

S. I.

Angeli localiter moventur.

I. Omnia quae de motu locali Angelorum D. Th. statuit 1. p. q. 53. & cum eo Commentatores, unico dubio perstringimus; ne in re non parum intricata, & non multum utilis plus, quam par est tempus terentes, ab utilioribus retrahamus.

II. Dico primo. Angelus moveri potest localiter. Ita S. Doct. citatus art. 1. & in 1. 2. d. 37. q. 4. art. 1. Adeoque hoc exploratum est, ut male omnibus habetur Durandus, qui contrarium fuit opinatus. Plures fuit Scripturae textus id attestantes. Esai. 14. v. 19. Angelus Dei dicitur procedere castra Israel, tollere se, & abire post eos. Daniel. 10. v. 35. Angelus portavit Habacuc in Babilonem. Zachar. 1. v. 4. Unus Angelus alteri dicit: *curre, loquere ad patrum israh.* Luca 1. v. 27. Missus dicitur Angelus Gabriel ad Virginem: v. 28. & ingressus ad eam &c. cap. 2. v. 15. *discesserunt ab eis* (Pastoribus) *Angeli in Caelum.* Matth. 28. v. 1. *Angeli Domini descendit de Caelo; & accedens revolvit lapidem.* De Demoniis quoque moveri localiter, habetur Job 1. v. 7. *Ubi fatus ait: Circulavi terram & perambulavi eam.* Esai. 14. v. 12. *dicitur occidit de Caelo.* Luca 10. v. 18. *quasi fulgur, & Apoc. 12. v. 8.* Angeli Apostolici ita dicuntur de Caelo egressi, ut non invenirent fuerit amplius eorum locus in Caelo. Quid autem est, praecedere, abire, currere, mitti, ingredi, ascendere, descendere, circuire, cadere de Caelo, & similia, nisi de uno loco moveri ad alium?

III. Nec valet effugium Durandi, dicentis haec non indicare, Angelos secundum substantiam localiter moveri, sed solum aliquod effectum incipere apparere, & se praesentem significare, ubi antea non apparebant: sicut haec ratione Genes. 2. v. 8. dicitur *Deus ambulare.* Gen. 11. v. 5. *descendere.* Matthaei 3. v. 16. de Spiritu S. *descendit fesus Celsum super Christum;* & de Filio Joas. 3. v. 33. *quod descendit de Caelo.* IV. Non inquam valet: nam secundum regulam S. Augustini lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. Verba S. Scripturae litteraliter, & proprie exponenda sunt, nisi aliquid sequatur, vel contra morum honestatem, vel contra fidei veritatem: nil autem sequitur contra fidei veritatem, cum intelligimus Angelos proprie localiter moveri. Sequeretur autem potius in opinione Durandi, ea improprie, & figurate accipientes; quia fidei veritatem sequeretur, Angelos esse immutabiles secundum locum, ejus substantiam esse ubique: quod esse Durandus admittere non veretur, omnes tamen Theologi maximum reputant inconvenientiam, ut superius Dub. precedenti dictum est. Verum grande sequeretur absurdum, si diceremus Filium, & Spiritum Sanctum substantialem mutare locum; nempe quod, nec Filius, nec Spiritus Sanctus essent ubique; nam mutare locum est incipere esse, ubi prius non erat, & desinere esse, ubi prius erat. Ita Sanctus Chrysostomus homil. 2. in Epist. ad Hebraeos, assignans differentiam inter missionem Filii Dei, & Angelorum, ait: *Magis autem necesse est missum esse (Dei Filium) neque enim de loco ad locum pertransire, sed carum sumptis: ipsi autem (Angeli) per loca mutantur; & prima loca, in quibus fuerant desinunt, ad alia veniunt transiendo, in quibus non erant antea.*

Angelorum motum localem asserunt Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 10. Athanas. Epist. 1. ad Serapionem: uterque probans divinitatem Spiritus Sancti, quia iste ubique est, nec loco mutari potest, Angeli vero loco mutantur, & possunt locum acquirere, & desinere. In quo sensu intelligendus est Tertullianus in Apologético cap. 22. Dub. precedenti citatus, & expostus.

V. Hanc veritatem probat S. Thomas hac 9. 3. art. 1. in arg. sed contra, sic: *Ejusdem rationis est Angelum beatum moveri, & animam beatam moveri: sed necesse est dicere, animam beatam localiter moveri, cum sit articulus fidei, quod Christus secundum animam descendit ad inferos; ergo Angelus beatius movetur localiter.*

VI. Probari etiam potest sic. Quod est in loco definitivè, non potest ad alium locum transire, nisi deferendo priorem locum, quod non fit nisi per motum localem: sed Angeli

sunt in loco definitivè; ergo &c. Hac ratione utitur S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 10. ubi comparat Spiritum Sanctum cum Angelo: ille (inquit) cum sit ubique, non potest recedere a loco, neque acquirere locum; Angelus vero, cum loci definitur, potest locum acquirere, & desinere. Eodem argumento utitur Damascenus in Sacris Paucis lib. 1. c. 47.

VII. Dices tamen primò Aristot. 6. Physic. text. 32. Nihil impossibile movetur, quia omne quod movetur, dum movetur partem est in termino a quo, & partem in termino ad quem, quod est contra rationem impartibilis, non habentis partem, sed Angelus est impartibilis; ergo &c.

VIII. Respondetur cum D. Th. citato ad 1. Primo. Majorem esse veram de indivisibili secundum quantitatem, ut puncto, cui de necessitate correspondet locus indivisibilis, cum ratione quantitatis sit in loco: non vero de indivisibili secundum substantiam, quod est in loco per applicationem suæ virtutis. Hoc enim sicut potest esse in loco indivisibili, & etiam indivisibili; ita etiam potest localiter, & divisibiliter locum mutare, non dividendo substantiam, sed operationem.

IX. Resp. secundo eodem. Prefatum axioma: id quod movetur, dum movetur, partem est in termino a quo, & partem in termino ad quem, verificatur de eo, quod movetur motu continuo, non de eo, quod etiam motu discreto potest moveri, ut de Angelo dicemus infra. Dum ergo movetur motu continuo, partem est in termino a quo, & partem in termino ad quem: ut tandem partialitas non referatur ad substantiam Angeli, quæ aliqua pars substantiæ ejus sit in uno termino, & alia in altero, sed ad locum. Quia in principio sui motus continui Angelus est in toto loco definitivo, & perinde movetur. Sed dum est in ipso movetur, seu dum actualiter movetur, totus est in parte primi loci, quem deserit, ac totus etiam in parte secundi loci, quem occupat per applicationem suæ virtutis, quam loco definitivo potest applicare, & sic moveri, sicut corpus moveri potest applicando loco divisibiliter extensionem suam.

X. Dices secundo. Motus est actus imperfectus 3. Physic. text. 14. insuper est ob indigentiam: sed Angeli Sancti nec sunt imperfecti, nec corporibus indigentes; ergo &c.

Respondetur cum D. Thom. laudato ad 2. & 3. Majorem esse veram de eo, qui movetur ad acquirendum sibi aliquam formam, seu perfectionem: hic enim est imperfectus, & in potentia, & indigens perfectione quæ caret, & ad quam acquirendum movetur: non vero de eo, qui movetur applicando suam virtutem, ut aliter communicet perfectionem, quam in se habet. Hic enim supponitur jam in se perfectus, & actu habens perfectionem, ad quam communicandam movetur. Et hoc movetur Angelus propter indigentiam nostram (ait D. Thom.) localiter movetur secundum illud Hebr. 1. Omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.

XI. Quæres tamen primo. An dici possit, quod Angelus motu locali vere, & proprie movetur.

Respondetur, quod si motus sumatur generaliter, prout dicitur successione, vel diversitate operationum in uno, & in altero loco, sic de Angelo dici potest quod proprie localiter movetur; dum enim Angelus alii atque alia loca sua virtute contingit, quæ prius non contingebat, ejus substantia sit revera præfens illis, & aliis locis quibus antea præfens non erat: quod est species quædam transitus, seu motus de loco ad locum. Si vero localis motus Angeli comparetur ad motum locorum corporis, sic (inquit D. Thom. hac qu. 53. art. 1.) Sicut esse in loco equivaleat conveniendi corpori, & Angelo, ita etiam & moveri secundum locum. Et in 1. distict. 37. qu. 4. artic. 1. Quia (inquit) moveri in loco sequitur ad esse in loco: ideo eodem modo conveniendi moveri in loco, sicut esse in loco, & utrumque est equivaleat respectu corporalium. Et rationem afferens, persequitur. Dicitur enim Angelus esse in loco, inquantum applicatur loco per operationem; & quia non simul in diversis locis esse dicitur, motus ejus vocatur. Quare ut ait hac qu. 53. art. 1. necesse est, ut motus Angeli in loco nihil aliud sit, quam diversus contactus diversorum locorum successive, & non simul, quia Angelus non potest simul esse in pluribus locis.

XII. Quæres secundo. In quo, ut in subiecto, sit motus Angelicus?

Resp. motum localem Angeli considerari posse dupliciter. Uno modo, ut dicitur contactum virtutis, quo Angelus successive contingit loca; & hoc modo Angelus intrinsece movetur, & motus in illo est, ut in subiecto. Alio modo secundum contactum passivum, seu secundum id, quod transit, seu efficitur in loco; & hoc modo motus non est in Angelo: est enim quid corporeum, ac in corpore receptum, ac proinde solum extrinsece denominatur Angelum localiter motum.

XIII. Adverto tamen, quod, ut Angelus dicatur localiter moveri, non sufficit, ut Angelus habeat successive diversas operationes circa diversa corpora, sed circa diversa loca.

Quare Angelus movens Orbem Cælestem, seu movens aquam præterfluentem, non dicitur localiter moveri quia esso moveat diversa corpora, seu diversas partes corporis, quia tamen succedunt in eodem loco, non dicitur successive esse in eodem loco, sed in eodem semper: unde signatur D. Th. supra relat. hoc art. 1. non dixit, motum localem Angeli esse diversos contactus circa diversa corpora, sed diversos contactus diversorum locorum successive.

XIV. Quæres tertio. An Angelus moveri possit per accidens ad motum corporis, in quo est?

Respondetur affirmative cum D. Thoma 1. part. quæst. 51. art. 3. ad 3. ubi sic ait: Movetur tamen Angelus per accidens, quia hujusmodi corporibus cum sint eis, sicut motores immobili-

libus, & ita sunt eis, quod non alibi. Quod de Deo dici non potest. Unde licet Deus non movetur, motus huius, in quibus est, quia ubique est; Angeli tamen moventur per accidens ad motum corporum assumptorum, non autem ad motum corporum Cælestium, etiam si sint in eis sicut motores in mobilibus; quia corpora Cælestia non recedunt de loco secundum totum, & nec determinatur spiritui moventi Orbem locum secundum aliquam determinatam partem substantiæ Orbis, quia nunc est in Oriente, nunc in Occidente, sed secundum determinatum situm, quia semper est in Oriente virtus movens.

Unde sic prob. Aliquod moveri per accidens est moveri ad motum alterius, & determinate conjungitur, quia ratione D. Thom. 3. part. quæst. 76. art. 6. ad 1. docet, Corpus Christi moveri per accidens ad motum specierum: sed Angelus conjungitur corpori sicut motor mobili; ergo &c.

Responsio ista procedit, supponendo, quod Angelus velit persistere operando in corpore, quod movetur, etiam dum movetur. Rursus, quod corpus illud movetur secundum de totum, & non solum secundum partem; quia ratione dum Angelus movet Cælum, non movetur per accidens ad motum Cæli, quia Cælum movetur solum secundum partes, & si unus Angelus esset simul in duobus lapidibus, quorum unus moveretur, alius immotus maneret, unus solum movetur, alter deorsum, Angelus in illis operans, nec per accidens moveretur, & quiesceret, moveretur solum, & deorsum; quia singuli essent loci inæquidati, & Angelus hic esset in uno, ut esset etiam in alio. Ita D. Thomas in 1. dist. 37. quæst. 4. art. 1. ad 4. nihil enim movetur per accidens motu eo in quo est, nisi definitivo sit in eo, ita quod non in alio; sicut anima movetur per accidens, motu toto corpore, & non motu manu tantum.

Advertendum est etiam; discrimen esse inter motum per accidens, quo movetur Angelus; & eum quo movetur corpus. Dum enim unum corpus per accidens movetur ad motum alterius, puta homo ad motum navis, & vestis ad motum hominis, movetur efficienter a movente aliud corpus, motum intrinsece in eo, quod movetur per accidens, recepto; at dum Angelus movetur per accidens motu corpore, in quo est, non movetur efficienter motu causato a movente corpore, nullumque ab eo intrinsece recipit motum, ad eum modum, quo, motis speciebus Sacramentalibus, nullum motum intrinsece recipit Corpus Christi, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 76. art. 6. ad 1. intrinsece autem solum movetur alio motu per se causato ab ipso Angelo in corpore mutante locum; quia dum corpus in quo agit movetur locum, Angelus qui in eo operatur, incipit agere, & esse in alio loco. Quibus bene perpendis responderi potest rationibus Scotistarum contrariam opinantium.

§. II.

Angelus moveri potest motu continuo, & discreto.

XV. Motus localis duplex esse potest, continuus, & discretus. Continuum, ut docet D. Thomas hac qu. 53. art. 1. est, quo mobile successive per partes deserit terminum a quo, & per partes acquirit terminum ad quem. Discretus est, quo e contra mobile deserit totum simul terminum a quo, & acquirit totum simul terminum ad quem.

XVI. Dico. Angelus moveri localiter potest utroque motu, continuo, & discreto. Ita D. Thom. loco citato, ubi postquam dixit, motum Angeli in loco nihil aliud esse, quam diversos contactus diversorum locorum successive, & non simul, & necessarium non esse, hujusmodi contactus esse continuos, pergit sic: Potest tamen in hujusmodi contactibus continuos quædam inveniri; quia... nihil prohibet, Angelo agnari locum divisibilem per contactum suæ magnitudinis. Unde sicut corpus successive & non simul dimittit locum, in quo prius erat, & ex hoc causatur continuus in motu locali ejus: ita etiam Angelus potest dimittere successive locum divisibilem, in quo prius erat. Et sic motus ejus erit continuus. Et potest etiam totum locum simul dimittere, & rursus aliter locum simul se applicare, & sic motus ejus non erit continuus.

XVII. Ex his prima pars, quæ ab omnibus fere admittitur, probata manet. Nam Angelum localiter moveri motu continuo, est non statim deserere totum terminum a quo sua virtutis contactu, sed successive & per partes; sicut corpus quia contactus suæ magnitudinis successive, & per partes & non simul totum, dimittit locum, in quo prius erat, dicitur localiter moveri motu continuo: sed Angelus hoc modo moveri potest; licet enim contactus virtutis angelicæ (sicut & ejus substantiæ) active, & in se indivisibilis formaliter sit, nec habeat, sicut magnitudo, partes correspondentes partibus loci; locus tamen, quem contingit, divisibilis est, & cum libere illum tangat, potest non unica contactus suspensione totum dimittere, sed uno contactu unam partem tangere, & deinde illa dimissa, illam partem contingere, & sic successive; ergo &c.

XVIII. Neque contrarium docuerat D. Thom. in 1. distict. 37. quæst. 37. quæst. 4. art. 1. ubi videtur negare, motum localem Angeli esse continuum. Nam S. Doct. solum videtur motum localem Angeli non esse, quod motum localem corpus, continuum ex necessitate, sed sicut conceptiones intellectus continentur se habent sine continuatione. Unde etiam hoc art. 1. qu. 53. dicit: Hujusmodi autem contactus, (Angelicos) non est necessarium esse continuos: non autem si Angelus velit, ejus motum localem continuum esse non posse, nimirum successive, & non

& non simul dimittendo partes loci, in quo prius erat. Quamvis hæc continuas motus localis Angeli, equivoco dicatur, si comparetur ad continentem motus localis corporum: sicut & esse in loco, & moveri localiter Angeli hoc modo equivoco dicitur, comparate ad esse in loco, & moveri localiter corporum.

XIX. Secunda vero pars (quam negasse videtur Scotus, asserit tamen S. Thom. hac qu. 53. art. 1. laudato, & etiam secundum) Prob. Moveri localiter motu discreto est priorem locum totum simul, & non successive deferere, & immediate alium locum totum simul acquirere: sed hoc potest Angelus &c. ergo &c. Maj. est D. Thom. ut supra. Hoc enim distinguit motum discretum, seu non continuum a continuo. Min. prob. Ideo corpus non potest statim totum locum deferere, & aliterum statim totum occupare, quia commensuratur loco, & est totum in toto loco, & secundum partes in partibus loci, & propterea divisibilitati, & continuitati loci debet se accommodare. At Angelus nec loco commensuratur, sed totus est in toto, & totus in quolibet loci parte; & in tantum successive, & non simul derelinquit locum, quia pro sua libertate vult tangere illum non secundum totum, sed secundum partes, non simul, sed successive; ergo si velit priorem locum statim totum deferere, & alium statim totum occupare, & tangere, potest.

XX. Sed dices primo. Non potest explicari, quando Angelus motu discreto movetur: dum enim est in termino a quo, nondum movetur: dum est in termino ad quem, jam quiescit.

XXI. Resp. motum localem discretum consistere in utroque termino a quo, & ad quem, non absolute, sed divisiu simpliciter, sed ut dicentibus invicem ordinem successione. Ita S. Th. hac qu. 53. art. 1. ad 1. si enim (inquit) motus non esse continuus, potest dici, quod aliquid movetur, dum est in termino a quo, & dum est in termino ad quem; quia ipsa successio diversorum ubi circa eandem non movetur. Et in 1. dist. 37. qu. 4. art. 1. ad 3. ait, quod cum motus Angeli localis non sit postus esse continuus, ideo non oportet, quod pars illius motus sit motus, & ideo nec in A. movetur, nec in B. movetur, licet A. & B. sint partes ejus; sed successio horum, quod est esse in A. & B. motus vocatur. Sicut plane patet si ascendamus motus ejus, vel secundum intellectum, vel secundum affectionem, quia ipsa successio affectionum motus ejus dicitur. Quibus patet, naturam motus discreti nil aliud esse, quam numerum diversarum operationum sibi in diversis locis succedentium, & habentium ordinem invicem. Unde si quis numerum solæ unitates componens, non absolute considerat, sed una cum ordine unius ad aliam sic etiam motum discretum componit operationes diversæ, non absolute, sed cum ordine unius ut prioris, ad alteram ut posteriolem.

XXII. Dices secundo. Motus localis Angeli quavis discretus debet esse motus: sed si unice consistat in diversis operationibus circa diversa loca, non erit unus, quia interruptus per quietem: ergo &c. Min. prob. cum enim Angelus in uno instanti deferat totum terminum, a quo & in alio sit in toto termino ad quem, inter ista duo instantia debet intercedere tempus medium, cum duo instantia sibi immediate succedere nequeant; sed in hoc tempore medio quiesceret motus, ergo esset per hanc quietem interruptus, & non unus.

XXIII. Respondetur neg. min. ad ejus prob. neg. maj. nam licet in tempore nostro duo instantia non possint sibi immediate succedere, est enim unum per continentem: bene tamen in tempore discreto, & Angelico, quo motus discretus, & operationes libere Angeli mensurantur. Nam tempus illud nihil aliud est, quam indivisibilis duratio, seu instantium numerus. Sed de hoc inferius alia dicentur.

§. III.

De transitu Angeli ab uno ad aliud extremum non transiendo per medium.

DE motu locali, tum continuo, tum discreto procedere Quæstio potest: an scilicet Angelus possit transire de uno ad aliud locum, puta de Cælo in terram, non transiendo per loca intermedia.

XXIV. Dico. Si Angelus moveretur motu continuo non potest transire de extremo ad extremum, quin transiet per loca intermedia, bene tamen si movetur motu discreto. Utramque partem docuit S. Thomas tum hac qu. 53. art. 2. tum in 1. dist. 37. qu. 4. art. 2. Prior pars est communis, & probatur ex eodem S. Doctore. Nam ut habetur in 6. Physic. text. 77. motus est, in quo prius venit, quod continetur mutatur, quam, in quo mutatur ultimum. Et ratio est: quia ordo prioris, & posterius in motu continuo est secundum ordinem prioris, & posterius in magnitudine, ergo motus, qui sit continuus debet ab uno extremo per omnia media pertransire ad aliud extremum, alias non esset continuus.

XXV. Secunda vero pars, cui omnes fere a Schola D. Th. alieni contrariantur, probatur. Angelus cum sit in loco per liberam suæ virtutis applicationem, quia in aliquo corpore operatur, transit de uno ad aliud locum; quia definitus operari in uno corpore, vel in alia corporis parte: sed potest Angelus definire operari in parte extrema, & incipere operari in alia extrema, quin operetur in mediis; quia Angelus in operando non dependet a corpore, aut loco, sive a conditionibus loci, neque a loco conjungitur, aut circumferibitur, sed sua voluntate ex locis intra suæ activitatis contentis sibi præfigit, & circumferibitur locum, in quo operetur, & sit; ergo &c.

Gæst. Theol. Tom. I.

Si enim Angelus quia independens a loco, & conditionibus loci potest operari in duobus extremis verbo, grat. aule, quin operetur in medio, seu in partibus mediis, aule, cur non poterit definire operari in alio extremo quidam aule, & incipere operari in alio extremo, quin prius operetur in partibus mediis.

XXVI. Confirmatur. Quia Corpus Christi est in Hostia non ad modum, quo corpus est in loco, sed ad modum, quo substantia est sub accidentibus, seu modo elevatori, & indivisibili, potest definire esse in extrema parte unius Hostiæ, & incipere esse in altera Hostiæ parte, quin exeat in partibus mediis, si illa corrumpatur, & hæc consecratur, non consecratis partibus mediis; & definire esse sub una hostia posita in altari, si hæc consumatur, & incipere esse sub alia in eodem altari posita si hæc consecratur, non incipiendo existere in aliis hostiis mediis, si non consecratur, quia Corpus Christi ibi est per consecrationem, & conversionem panis in ipsum: sed etiam Angelus in loco est per applicationem suæ virtutis, quam applicare potest extremis, quin applicet in mediis; ergo poterit etiam cessare ab ea applicatione uni extremo, & eam applicare alteri extremo, quæ eam applicet mediis, & sic transire de loco extremo ad extremum, quin loca media percurrat.

Audiendus est D. Thom. Quolib. 1. art. 5. Corpus (inquit) est in loco, sicut continentur ab eo, & ideo oportet, quod in movendo sequatur loci conditionem, ut scilicet pertransiat media, prius quam ad extremum loci perveniat. Sed cum Angelus sit in loco per contactum virtutis, non substantiæ loci, ut continentur ab eo, sed magis continetur locum suæ virtutis supereminens in loco, unde non habet necessitatem, ut sequatur in hoc motu conditionem loci, sed voluntati suæ subjicit, quod applicet se per contactum virtutis huic loco & illi, & si vult, absque mediis: sicut etiam intellectus potest applicari intelligendo uni extremo, puta albo, & postea nigro, indifferenter vel cogitando, vel non cogitando de mediis coloribus, quoniam corpus subiectum colori non potest moveri de albo in nigrum, nisi per medium. Quæ doctrina valde notanda est.

XXVII. Secundo probatur ratione D. Thomæ hac qu. 53. art. 2. Motus discretus sit per numerationem omnium partium, quas pertransit, ad differentiationem motus continui; ergo mobile, quod movetur, non transiit omnia media; cum enim in continuo sint infinitæ partes proportionales, & communicantes, sicut infinita indivisibilia, ut ostendunt physici, si mobile motu discreto transiret omnia media, numeraretur finitas partes infinitæ: sed infinita numeratio est impossibilis; ergo &c. Unde concludit S. Doct. sic ergo mobile quodcumque movetur motu non continuo, sequitur, quod vel non transiit omnia media; vel quod, si transiit media infinita, quod est impossibile. Sic igitur secundum quod motus Angeli non est continuus, non pertransiit omnia media. Neque est simile de motu continuo, quia partes motus continui non sunt actu numeratæ, ideo enim sint infinitæ potentia, quia tamen actu non numerantur, possunt pertransiri.

XXVIII. Sed dices primo. D. Thom. hoc art. 2. ad 2. ubi respondet objectioni quæ probare intendebat, quod sicut anima potest cogitare de duobus extremis, puta de Gallia, transiendo ad cogitandum de Syria, nihil cogitando de medio, puta de Italia; ita Angelus, qui perfectior est, multo magis potest de uno transire ad aliud extremum non transiendo per medium. Respondet, inquam, negando paritatem, quia dicit, dum Angelus movetur localiter, applicatur ejus essentia diversis locis, anima autem essentia non applicatur rebz, quas cogitat, sed potius res cogitata sunt in ipsa, & ideo non est simile; ergo sentit, Angelum non posse transire de loco ad locum, quin transiet per medium.

XXIX. Respondetur, dist. confeg. Angelus non potest &c. dum movetur motu continuo, conc. conf. dum movetur motu discreto, neg. confeg. In hoc ergo stat discrimen, quod anima dum cogitat cogitatione etiam continua, potest cogitare de locis extremis, non cogitando de loco medio; quia animæ essentia non applicatur rebz, quas cogitat, sed potius res cogitata sunt in ipsa. Angelus autem, dum movetur motu continuo, quia movetur applicando suam essentiam successive per partes loci, non potest ab extremo transire ad extremum, relicto medio. Ceterum posse Angelum motu non continuo transire de extremo ad extremum relicto medio, affirmat D. Th. in eodem articulo, & ejus rationes adduximus.

XXX. Dices secundo. Anima rationalis non potest informare partes extremas corporis, quin informet intermedias; ergo nec Angelus potest applicare essentiam suam locis extremis, quin eam applicet loco medio.

XXXI. Respondetur, disparitatem esse; quia anima unitur corpori ut forma necessario, & dependenter a dispositionibus, inter quas præcipua est partium continuatio, & colligatio; unde si non animaret medias, nec animaret partes extremas. At Angelus unitur loco, ut agens passivo, libere, neque ullas requirens in eo dispositiones; unde si velit tangere motu discreto partes extremas, & non medias.

Neque cum ratione pugnat, quod aliquid sit hic, & postea alibi, quin fuerit in medio. Esto enim excedat seu, si velis, cum ratione tamen non pugnat. Unde D. Thomas in 4. distict. 45. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. ad 1. ait: Incorporea non sunt in loco modo aliquo novo nobis, & confusæ secundum quod dicimus, corpora proprie in loco esse sunt: tamen in loco modo substantiæ spiritualis convenienter, qui nobis plane manifestus est non potest. Imaginatio enim nostra non transiit continuum.

XXXII. Replicabis. Nedom imaginationi, sed rationi repugnat transire de futuro in præteritum, nisi per præsens; ergo pariter repugnat transire de loco A. ad locum B. distans, nisi per medium. Et ratio est: quia non potest concipi motus, nisi concipiatur motus ante mutatum esse; ergo nisi concipiatur medium inter terminum a quo, & terminum ad quem, quia dum mobile est in termino a quo, nondum movetur; dum est in termino ad quem, iam mutatum est.

XXXIII. Respondendo, nego consequens. Nam temporis differentia ordinem essentialem habent inter se, quem non habent partes loci. Nam non potest aliquid esse simul præteritum, & futurum, potest tamen Angelus simul esse in loco A. & in loco B. si intra locum ejus adequatum contineatur: immo, & corpus in pluribus locis distans, ut Contrarii volunt; & cum Deus ponit corpus in diversis locis, non dicitur esse nec transire per media. Corpus Christi etiam, est non per motum localem, vere tamen in Cælo est, & in Hostia, immo in pluribus Hostiis, quin sit in locis mediis. At unum transire de futuro in præteritum, quin fuerit præsens, repugnat notioni futuri, & præteriti, quia futurum est id, quod aliquando erit præsens, & præteritum, quod aliquando fuit præsens. Adde quod differentia temporis sunt mensura rerum; at locus non est mensura spiritus, qui nec a loco, nec a conditionibus loci pendet, sed e contra.

Ad id, quod additur, respondit jam D. Thom. hac quasi. 13. art. 2. ad 3. dicens antecedens esse verum in motu continuo, non in motu discreto. Nam in motu continuo mutatum esse non est pars movendi (seu motus) sed terminus; unde oportet, quod movens sit ante mutatum esse; & ideo oportet, quod talis motus sit per medium. Sed in motu non continuo mutatum esse est pars, sicut unitas est pars numeri. Unde successio digitorum locorum eorum sine fine constituit calorem motum.

XXXIV. Dices tertio. Saltem corpus transire non potest de loco ad locum, nisi per medium; sed si Angelus id posset, posset & corpus. Nam si Angelus motu discreto se movens, lapidem ferat, lapis ille movebitur. motu discreto Angelus, & proinde de loco ad locum non pertransiendum medium; ergo &c.

Resp. neg. min. Nam in casu quo Angelus lapidem ferat, non movetur motu discreto, sed continuo, nimirum per accedens motu continuo lapidis.

XXXV. Dices quarto. Angelus tenetur sequi ordinem ab Auditore nature præfixum; sed hic est ordo finalis, ut una res habeat situm in Universo post aliam; ergo Angelus hunc ordinem servare debet in suo motu locali.

Respondendo, dist. consequens. Ita ut istum ordinem, qui est in res materialibus immutari non possit, faciendo, quod una res, seu elementum occupet locum alterius, puta terra locum aque, aqua locum aeris, aer locum ignis, quod gravia sursum, & levia deorsum tendant, conc. consequentiam, hoc enim est nature ordinem invertere. Ita ut secundum istum ordinem coexistere, & operari debeat, nego consequens. hic enim ordo est præfixus quidem agentibus corporeis, quæ in operando legibus suis addictæ sunt; non tamen virtuti Angelicæ, quæ ab omni situ, & legibus materialibus absoluta potest, si velit, agere legibus suis non se alligando: sed a quocumque transire ad agendum in quocumque corpus in Universo clausum, medio relicto, si intra spheram suæ activitatis continetur: sic etiam, ut probabiliter sentiunt multi, quantumcumque fuit distans.

§. IV.

An motus localis Angeli perfici possit in uno instanti?

XXXVI. De loco. Motus localis Angeli five continuus sit, five discretus non potest unico instanti compleri. Ita D. Thomas hac q. 13. art. 3. & in 1. dist. 37. q. 4. a. 2. Loquitur autem de motu, qui est inter duos terminos positivos, non de simplici mutatione, quæ habet terminum pure negativum, & non est motus, sed potius terminus motus; sicut illuminatio, quæ est terminus motus corporis illuminantis, & generatio, quæ est terminus alterationis; hæc enim esse instantaneas, nemo non videt: terminus enim motus est mutatum esse, hoc autem in instanti est. Loquitur ergo de motu, ut a simplici mutatione distincto.

XXXVII. Motum hunc itaque unico instanti non posse perfici, probat sic. Id, in quo assignari necessario debent duo nunc, unum in quo ultimo fuit, aliud in quo primo est, unico instanti perfici non potest; quia ubi sunt multa, ibi de necessitate est tempus, cum tempus nihil aliud sit, quam numeratio prioris, & posterioris in motu, sed in motu locali etiam angelico five continuo, five discreto debent assignari duo saltem instantia, unum in quo ultimo fuit in loco precedenti, aliud in quo primo est in loco posteriori; ergo motus localis Angeli non in instanti indivisibili perficitur, sed in tempore. In continuo quidem tempore (ait D. Th. hic) si sit motus qui continuus: in non continuo autem si motus sit non continuus. Et persequitur: Sed istud tempus, si sit tempus continuus, non est idem cum tempore, quod mensurat motum Celi. & quod mensurantur omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem in motu Celi. Motus enim Angeli non dependet ex motu Celi. Operationes autem angelicæ constituunt tempus continuum, quando continue sibi succedunt, & operantur se proportionando ad continuam spatii; constituunt autem tempus discretum, quando succedunt sibi discrete, sicut unitates componunt numerum.

XXXVIII. Hoc explicat S. Doct. in 1. dist. q. 4. a. 3. ci-

tato, sic. Cum motus Angeli non sit (ex necessitate) continuus, quia non est secundum necessitatem magnitudinis conditionis habens, per quam transire sicut est in illi, quæ sunt se nata in loco esse, ne eorum substantia sit commensurata terminis loci, scilicet corporibus: sed per successum operationum, in quibus nulla est ratio continuitatis: ideo tempus illud non est continuus, sed est compositum ex nunc succedentibus sibi; ut numerus ipsarum operationum succedentium sibi temporis (discretum) vocatur: sicut ipsa successio operationum dicitur motus: & quæ sunt operationes, ex quibus componitur motus secundum diversam loci, tot erunt nunc, ex quibus componitur tempus.

Ex his conquiret alia ratio. Motus continuus dicitur successione operationum in Angelo se se accommodare ad contiguitatem spatii, in quo operatur, & quod pertransit motus vero discretus dicitur successione operationum secundum numerum sibi succedentium; ergo uterque motus ex sua ratione dicitur successione, & prius, & posterius: sed prius & posterius, & successio in operationibus dicitur essentialiter plura non sibi succedentia; in unico enim nunc, utpote prolixus indivisibilis, nequit numerus operationum sibi succedentium salvari, sicut nec in una unitate numerus; ergo &c.

XXXIX. Adverto tamen primo, non negare hic S. Doctorem, quin recessus Angeli a termino a quo possit esse in instanti, sicut & accessus ejusdem ad terminum ad quem: si vel le solum, quod huiusmodi recessus, & accessus, in quo consistit motus localis, non possit fieri in unico instanti, sed quod talis transitus quo saltem requiritur instantia.

Secundo adverto, non negare, quin Angelus, dum totaliter relinquit locum, celeriter possit se collocare in alio, five abissimo, five distansissimo. Immo 1. p. q. 13. art. 6. ad 3. quod Angelus Cælos eorum cum est in Cælo cognoscit, quid circa hominem agatur; nec indiget nova temporis ad motum localem, sed statim potest adesse. Et hic ad 3. ait, quod si movetur non continuo, Angelus in uno instanti potest esse in uno loco, & in alio instanti alio loco, nullo tempore intermedio existere.

XL. Dices primo, Tertullianus Apolog. c. 22. de Angelis, & Dæmonibus: Omnis (inquit) spiritus alios est. Hæc Angelus, & Dæmones. Ignorant momento ubique sunt. Tunc orbis illis locus unus est &c.

Respondendo, ut supra dixi, hanc esse emphasim Tertulliani ad exprimendam Angeli in motu locali celeritatem, quantantia est, ut momento videatur ubique adesse, & totus mundus esse illi unus locus; unde subdit: Velocitas divinitus creditur, quia substantia ignominiosa. Hinc miram Angeli in motu velocitatem exponens Scriptura; modo eos vocat ventos, modo flammam ignis, lignem urentem, modo vocat ignem &c. Immo ad eandem declarandam Sap. 9. v. 18. de Angelo, qui transiens per domos Ægyptiorum, eorum principum exterminavit, dicitur: Uno momento, quæ erat præclarior navis illorum, exterminata est. Sed hæc, & similia inducunt quidem, motum localem Angeli esse celeritatem, non tamen instantaneum. Quare Hieronymus l. adversus Pelagianum dicentem animas Martyrum, vel subitus aram Dei, vel in sinu Abraham confidere, nec de suis tamulis exire posse, sic infurget: Cum Diabolus, & Dæmones tota vagantur in Orbem, & celeritate nimia ubique presentes sint; Martyres post effusionem sanguinis sui arcam operantur instanti. & inde exire non poterunt; & Nazianzen. Orat. 34. circa finem de intelligentibus Virtutibus agens: Ita, (inquit) omnia peragunt, omnibus ubique impigre adfunt, cum ab ministerii promptitudinem, tum ab nature levitatem.

XLI. Sed instantis. Velocitas motus localis angelici excedit sine proportionem velocitatem motus corporis pertransiens idem spatium: sed si motus Angeli non fiat in instanti, sed in tempore, non excedit motum corporis, sine proportionem, quia inter quælibet duo tempora finita datur proportio; ergo &c.

Rursus Angelus, cum sit prolixus spiritualis, longe velocior est luce corporea: sed lux corporea in instanti pervadit omne aeris spatium; ergo multo magis Angelus.

XLII. Respondendo, neg. min. excedit enim motus localis Angeli motum localem corporis sine proportionem, sed intra speciem motus, de cuius ratione est, quod successe sit, & non in instanti, ut probatum est. Excedit ergo motus localis Angeli stat in hoc, quod possit Angelus moveri in minori, ac minori tempore, quam fieri possit motus corporis: cum autem tempus sit infinite divisibile, consequens est, quod semper possit Angelus majori, & majori velocitate moveri, quam corpus. Immo hic discurro. Sicut motus localis Angeli excedit motum localem corporis: Ita motus localis Angeli superioris excedit motum localem Angeli inferioris; sed si motus localis Angeli fieret in instanti, non esset locus illi excessus; quia cum instanti indivisibile sit, si motus angelici esset instantaneus, non daretur excessus inter illos. Ut ergo datur locus excessus, dici debet, quod motus angelicus fiat in tempore, & quod sicut Angelus superior in minori tempore perficit suum motum, quam inferior, ita in minori sine proportionem illum perficiat, quam corpus.

Neque inferas, Angelum fore virtutis motive infinitæ, si potest in majori, & majori velocitate in infinitum excedere motum localem corporis: sicut arguimus, virtutem infinitam in Deo, quia potest perficiere & perfectiores effectus in infinitum producere, & e contra, quia lumen gloriæ est finitum, negamus, posse visionem perfectiorem, & perfectiorem in infinitum producere.

Nam nego illatum: quia tunc solum potentia ad producendum effectum perfectiorem, & perfectiorem, debet esse simpliciter infinita, quando effectus perfectior &c. requirit in causa

D U B I U M I.

An Angeli substantia sit suum intelligere; an intelligere sit suum esse; & an sit sua virtus operativa?

§. I.

Resolutio prima pariter.

I. Deo. Substantia Angeli non est suum intelligere, sed intelligere Angeli a substantia ejus realiter distinguitur. Ita D. Thomas hac q. 54. art. 1. Sumitur autem intelligere pro actione, seu actu ultimo, vel exercitio actuali intelligendi: si enim sumatur pro principio radicali intelligendi, sit intelligere, seu virtus esse nature intellectivæ, est substantia, seu essentia Angeli. Oppositum visus est censuisse Averroes 12. Metaphysicæ. text. 59. volens, quod in substantia separata substantia, & operatio non distinguantur. Cui ex parte adhaerit Durandus in 2. dist. 3. quæst. 4. ad 1. aliter, quod esse intellectio, qua Angelus intelligit alia a se, realiter sit distincta a substantia ejus, non tamen intellectio, qua seipsum intelligit.

II. Probat autem Div. Thom. communem sententiam. Primo. Si substantia Angeli esset sua intellectio, esset actus purus: identificaret enim sibi ultimam actualitatem de linea perfectissima, qualis est linea intellectiva, nihilque haberet potentialitatis admixtum, non enim esset in potentia ad substantiam, vel existentiam, aut alios actus; quia si identificaret sibi, quod est remotius, nempe actu intelligere, multo magis sibi identificaret, quod est propinquius, & intimius, nempe esse, & subsistere: Et etiam, quia si careret potentialitate in linea intellectiva, quæ perfectissima est, non esset, cur non careret in aliis lineis, sed impossibile esset, aliquam creaturam substantiam esse actum purum; ergo &c.

III. Secunda ratio Div. Thom. est ista. Si intelligere Angeli esset sua substantia, nam intelligere Angeli esset subsistens, intelligere autem subsistens non potest esse nisi unum, sicut nec aliquid abstractum subsistens; ergo substantia Angeli esset una, nec distinguatur a substantia Dei, quæ pariter est suum intelligere, nec a substantia alterius Angeli. Quod enim est abstractum ab omni limitativo, tam formali, quam materiali, non potest esse nisi unum, ut patet in Deo; unde sicut est unus Deus, ita esset unus Angelus, non solum numero, sed specie.

IV. Ex quo sequitur tertia ratio, nimirum, quod si substantia Angeli esset suum intelligere, & hoc esset unum, non daretur amplius in Angelis major, vel minor perfectio in participanda ratione intellectualitatis; quia ille unus Angelus, cuius intelligere esset per se subsistens, totam intelligendi perfectionem haberet; sicut quia Deus est esse per se subsistens, habet, seu virtus, est tota essendi perfectio.

V. Probo ultimus alia ratione ex S. Augustini lib. 11. de Civitate Dei cap. 10. sic: substantia, quæ vel potest amittere intellectum, vel in qua aliud est habens, aliud id quod habet: non est realiter sua intellectio, sed aliud a sua intellectu: sed substantia Angeli potest amittere intellectum, & de una in aliam intellectionem transire, ac in ea aliud est habens intellectionem, & aliud ipsa intellectio, quæ habetur; ergo &c. Majorem probat S. Augustinus ab exemplo. Sicut (inquit) vas aliquem liquorem (habet) aut corpus calorem, aut per locum, sive fervorem, aut animam sapientiam. Nihil enim horum est id, quod habet; nam neque vas liquor est, nec corpus calor, nec lux, sive fervor, neque anima sapientia est. Ex quo inferre, quod omnia præfata privari possunt eo, quod habent, & in alios habitus, & qualitates verti, atque mutari; ut vas excutatur humore, quo plenum est, & corpus deceleretur, & ardeat, & anima desipiat. Quod si non possit amittere, ut corpus post resurrectionem non poterit amittere incorruptibilitatem, sicut nec anima Sapientiam; adhuc tamen, & corpus distinguitur ab incorruptione, & aliud est corpus, aliud incorruptio: quia corpus divisibile est, incorruptio indivisibile; nec est magis incorruptibilis pars major, puta manus, quam pars minor puta digitus. Anima quoque ipsa, etiam si semper sit sapientia, sicut erit cum liberabitur in æternum; participatione tamen incommutabili sapientia sapiens erit, quæ non est quod ipsa. Neque enim si aut infusa luce nunquam deficiatur, ideo non aliud est ipse, aliud lux, quæ illuminatur. Ita acute Augustinus.

VI. Insuper lib. 6. de Trinitate. cap. 6. in anima (inquit) cum aliud sit actus, aliud inertem, aliud memorem, aliud immemorem, aliud cupiditatem, aliud timor, aliud tristitia; postquam & alia sunt alia, & alia magis, alia minus innumerabilia, & innumerabiliter in anima natura inveniunt, manifestum est, non simplicem, sed multiplicem esse naturam; nihil enim simplex mutabile est; omnis autem creatura mutabilis. Cum ergo in Angelo non fuerit, nec sit semper eadem cognitio, cum de novo multa cognoverit, maxime ad ordinem gratie pertinentia; cumque ejus amor variatus fuerit, maxime in Angelis pravis; in quibus de bono mutatus fuit in pravam, constat in Angelis aliud esse cognitionem, & amorem, aliud eorum substantiam.

§. II.

Resolutio secunda, ac tertia pariter.

VII. Deo secundo. Intelligere, seu actio Angeli, vel cuiuscumque creature non est ejus esse, Ita Div. Thom. hac art. 2. cuius ratione probatur sic. Primo. Intel-

causa perfectiorem, & perfectiorem virtutem; ut contingere in lumine gloriæ, si possit intensiorem, & intensiorem visionem Dei efficere; & contingit in potentia Dei, quæ proinde infinita est, quia potest effectus in infinitum producere, non solum numero distinctos, sed in perfectione specificæ invicem se excedentes. At quod motus localis possit crescere ad majorem, & majorem velocitatem, seu in minori, & minori tempore fieri usque in infinitum, cum non arguat majorem, & majorem virtutem in potentia motiva, indicat quidem, eam esse superioris ordinis in movendo, sed non esse infinitam actu, & simpliciter, sed in potentia solum: sicut infinita solum in potentia, & non actu est illa potentia, quæ potest plura, & plura individua intra eandem speciem in infinitum producere. Unde Div. Thom. 1. p. q. 26. art. 3. ad 1. docet, potentiam Dei, si manifestare actu infinitam, per hoc, quod movere possit velocius, & velocius in infinitum, si moveat in tempore; manifestare quidem seipsam actu infinitam, si causare motum, seu si movere in instanti.

Unde arguo sic. Si Angelus localiter moveretur in instanti, ejus virtus motiva esset actu infinita: sed virtus motiva Angeli est actu finita; ergo &c. Maj. prob. ex doctrina Div. Thomæ relati. Tunc virtus motiva esset actu infinita, quando moveret improportionabiliter citius, quam quælibet virtus motiva finita: sed si Angelus moveretur in non tempore, seu in instanti, moveretur improportionabiliter citius, quam quælibet virtus motiva finita; quia esto inter moveri citius, & citius in tempore datur proportio, inter moveri tamen citius in tempore, & moveri in instanti, nulla proportio datur. Et ecce alteram rationem pro nostra conclusione.

XLIII. Ad id, quod additur, disting. min. lux &c. pervadit &c. per motum localem, nego min. per simplicem mutationem, conced. min. Cum enim lux corporea non sit corpus, non pervadit universum ætherem per motum localem, sed per simplicem diffusionem, & mutationem, quæ non est motus, sed terminus motus. Unde Div. Thom. hac quasi. 13. art. 3. ad 2. illuminatio (inquit) est terminus motus, & est alteratio, non motus localis; ut intelligatur, lumen moveri prius ad propinquum, quam ad remotum. Motus autem Angeli est localis, & non est terminus motus.

XLIV. Dices secundo. Motus localis Angeli nihil aliud est, quam acquisitio loci, sed Angelus acquirit locum in instanti; ergo &c.

Respondendo negando maj. Nam cum Angelus fuit primo productus, acquisivit locum; & tamen illa loci acquisitio non fuit motus localis, sicut nec esset, si nullibi antea existens locum acquireret. Motus ergo localis est acquisitio unius loci, & derelictio alterius; hæc autem duo, quod saltem instantia petunt, ut persequatur.

XLV. Ad replicabis. Potest in eodem instanti esse acquisitio unius loci, & derelictio alterius; ergo &c. antec. prob. quando aliquid in instanti acquiritur, in eodem instanti aliud ei oppositum derelinquitur. Sic in eodem instanti, quo forma est in materia, tollitur ejus privatio; & in eodem momento, quo aer illuminatur, tenebre tolluntur; ergo &c.

XLVI. Respondendo, nego antecedens ad ejus prob. dico, antecedens esse verum, quando acquisitio sit per simplicem mutationem, quæ est a termino a quo negativo, vel privativo, ut in exemplis allatis. Falsum tamen esse, quando acquisitio, esto fiat in instanti, est tamen terminus motus proprie dicti, qui est inter duos terminos positivos, ut est in Angelo transiente ab uno ad alium locum: tunc enim ad tollendum contrarium, sive ad vincendum latitudinem, & distantiam, quæ est inter duos illos terminos positivos, requiritur successio seu tempus, vel continuum, vel discretum. Nam dum est in termino a quo, incipit quidem, sed nondum est in termino ad quem; & dum est in termino ad quem, jam non est, sed antea fuit in termino a quo. Quapropter essentia motus, quæ est transitus de uno positivo ad aliud, peti, ut non in uno, sed in duobus ad minus instantibus fiat, in quorum uno deorsum esse in uno loco, & in altero incipiat esse in alio: & sic in conjunctione horum duorum instantium, quorum unum succedit alteri, consistit motus angelicus. Quod utque adeo verum est, ut etiam Angelus localiter moveretur in vacuo, adhuc non in unico instanti moveretur: essentia motus sit petente, quæ essentialiter, in successione consistit. Sed hæc fatis.

QUÆSTIO IV.

De quidditate, medio & modo angelicæ cognitionis.

Angelus esse natura cognoscitivum certum est. Cum enim actus superioris dictis immaterialis sit, & purus spiritus, cumque natura immaterialis debeat esse cognoscitiva, (unde probavimus, Deum, qui in summo immaterialitatis est, esse quoque in summo intellectus) extra quætionem esse debet, Angelum esse nature intellectivæ. Hoc ergo supposito, restat examinanda primo quidditas intellectus angelici, de qua Div. Thomas hac quasi. 54. pertractat. Secundo de medio; de quo agit q. 55. Et tertio de modo cognitionis; de quo q. 56. sermonem facit.